

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Phaedri Avgusti Liberti Fabvlarvm Aesopiarvm Libri V.

Phaedrus

Rintelii, MDCCXXXVIII

VD18 13044567

Fab. XII. Ceruus ad fontem.

urn:nbn:de:gbv:45:1-17134

FAB. XII.

Ceruns ad fontem.

Laudatis vtiliora, quae contemseris,
Saepe inueniri, haec exerit narratio.

Ad fontem Ceruus, cum bibisset, restitit,
Et in liquore vedit effigiem suam.

Ibi dum ramosa mirans laudat cornua,
Crurumque nimiam tenuitatem vituperat:
Venantum subito vocibus conterritus,
Per campum fugere coepit, et cursu leui
Canes elufit. Silua tum excipit ferum,
In qua, retentis impeditus cornibus, 10
Lacerari coepit morsibus saeuis canum.

Tunc moriens vocem hanc edidisse dicitur:
O me infelicem! qui nunc demum intelligo,
Vt illa mihi profuerint, quae despexeram,
Et quae laudaram, quantum luctus habuerint.

Nimium ne crede colori.

Haec fabula docet, usum illis rebus saepe inesse maiorem, quas contemseris, quam quae summis elatae fuerint laudibus. Ceruus, cum bibisset, ad fontem restitit, suamque effigiem in liquore, velut in speculo, repraesentatam vedit. Tum sua miratur et laudat ramosa cornua; nimiam contra despicit atque deplorat tenuitatem crurum. Mox venatorum clamore perterritus coepit fugere per campum, ac celeri cursu ab insultibus canum in siluam se recepit: cornibus autem, quod arborum saepius implicantur ramis, impeditus saeuis canum morsibus laceratur. In agone ita fertur sua fata de-

plo-

plorasse : me miserum ! qui sero nimis nunc tandem intelligo, egregie mihi profuisse, quae vituperaui ; et quae satis non poteram laudare, exitium tantosque mihi parauisse dolores.

F A B. XIII.

Vulpes et Coruus.

Qui se laudari gaudent verbis subdolis,
Serae dant poenas turpes poenitentiae.

Cum de fenestra Coruus raptum caseum
Comesse vellet, celsa residens arbore :
Hunc vidit Vulpis, dehinc sic occipit loqui : 5
O qui tuarum, Corue, pennarum est nitor !
Quantum decoris corpore et vultu geris !
Si vocem haberet, nulla prior ales foret.
At ille stultus, dum vult vocem ostendere,
Emisit ore caseum, quem celeriter 10
Dolosa Vulpis auidis rapuit dentibus.
Tum demum ingemuit Corui deceptus stupor.
Hac re probatur, quantum ingenium valet,
Virtute et semper praeualet sapientia.

Insidiosa adulatio.

Qui blandis adulatorum vocibus credit, et vanis sibi patitur imponi laudibus : eum non sine damno ac dedecore leuitatis suique fastus poenitet. Cum aliquando coruus, celsa residens arbore, vellet comedere caseum, quem ex aedibus rustici modo rapuerat : istum sub arbore appetens vulpes de laudibus corui multa egregie protulit. Te felicem, corue, inquit, quanta haec tua maiestas ; quam nigrescens pennarum placet nitor. O ! si dignam tanto cor-

